

divus Severus et Antoninus rescripserunt. — § 2. Lites donatas⁶¹ se non suscipere divus Pius rescripsit, licet bona relictorum se quis profiteatur, vel partem bonorum donatam non suscipere: et adjecti, et illum dignum fuisse puniri pro tam turpi, tamque invidioso commento: et nisi durum esse videbatur, in ultro venientem pœnam statuere. — § 3. Sicut renuntiare causam nemo cogitur⁶² ita liberum arbitrium ei desistendi non datur qui detulit, et ita divus Severus et Antoninus rescripserunt, et idem esse, licet alieno mandato detulisset. Plane rescripserunt, delatorem audiendum, volentem a lite desistere, si sibi mandatorum subtractum queratur.

23. CALLISTRATUS, lib. 2, de jure Fisci.

De eo delatore, qui causam solus agere instituerat non habita mentione mandatoris, si postea desistat præterens mandatorum causæ decessisse: puniendum divi fratres rescripserunt.

24. MARCIANUS, lib. singulari de Delatoribus.

Non tantum delator punitur, si non probaverit: sed et mandator⁶³ quem exhibere debet delator.

25. ULPIANUS, lib. 19, ad Sabinum.

Est et decretum ab imperatore Severo, et constitutum, nullo modo exigendum quem probare, unde habeat, circa delationes fiscales: sed delatorem probare debere, quod intendit.

26. Idem, lib. 31, ad Sabinum.

Cum quidam capitis reus emancipasset filium, ut hereditatem adiret, rescriptum est, non⁶⁴ videri in fraudem fisci factum, quod adquisitum non est.

27. Idem, lib. 34, ad Edictum.

Cum mortem⁶⁵ maritus uxoris necate non defendit, divus Severus rescripsit, dotem fisco vindicandam: prout ad maritum pertineat.

28. Idem, lib. 3 Disputationum.

Si, qui mihi obligaverat quæ habet, habiturusque esset, cum fisco contraxerit: sciendum est in re postea adquisita fisco potior esse debere, Papinianum respondisse: quod et constitutum est: prævenit enim causam pignoris fisco.

29. Idem, lib. 8 Disputationum.

Ejus, qui delatorem⁶⁶ corripit, ea conditio est, ut pro victo habeatur: nam in fiscalibus causis id constitutum est. Sed enim hæc pœna magis est, ut adversus ipsum locum habeat, qui delatorem redemit: cætero quin adversus heredem ejus transire non debet: nec enim exinde perita causa, ex quo redempta est vel actio perimitur, vel condemnatio facta videtur: verum oportet constare prius⁶⁷, et de crimine pronunciare. Plane si forte de retractanda causa agatur, quæ semel iudicata est per delatoris corruptelam: mortuus corruptor non efficit, quominus agi possit, atque retractari causa: hic enim non pœna, sed causæ restitutio est. — § 1. Eum, qui falsum testamentum dixit, posse adire hereditatem constat: sed denegatis ei actionibus fisco locus erit: et obligationes, quas adeundo confudit⁶⁸, non restituantur. — § 2. Nam et in eo, qui post aditam hereditatem defuncti mortem non defendit, imperator noster cum patre rescripsit, obligationes confusas non resuscitari.

30. MARCIANUS, lib. 3 Institutionum.

Ne procuratores Cæsaris bonorum actores⁶⁹ quæ ad fiscum devoluta sunt alienent, imperatores Severus et Antoninus rescripserunt: et si manumissi fuerint, revocantur ad servitutem.

31. Idem, lib. 4 Institutionum.

Divus Commodus rescripsit, Obsidum bona, sicut captivorum⁷⁰, omnimodo in fisco esse cogenda.

32. Idem, lib. 4 Institutionum.

Sed si accepto usu togæ romanæ, ut cives romani semper egerint, divi fratres procuratoribus hereditatem rescripserunt sine dubitatione jus eorum ab obsidis conditione separatim esse beneficio principali: ideoque idem jus eis servandum quod habent, si a legitimis civibus romanis heredes, instituti fuissent.

33. ULPIANUS, lib. 4 Responsorum.

Eum, qui debitoris fisci adit hereditatem, privilegiis fisci cœpisse esse subjectum.

61. L. ult. supr. qui testam. facere: L. pen. supr. de hered. instit. 2 ult. Inst. quib. mod. testam.: L. 2, C. de ne fisco vel respubl. — 62. C. ut nemo invidiosus agere. — 63. L. 2, § 2, supr. h. t.: L. 1, § 15, supr. ad SC. Turpill.: L. 34, supr. de pen. — 64. Immo vide L. 43, in pr. infr. h. t. — 65. L. 10, supr. de his, que ut indigni: L. 1, C. de his, quib. ut indigni. — 66. L. 4, supr. h. t.: L. ult. supr. de prævaricati: L. 2, in pr. supr. de bonis eorum. — 67. L. 3, § 1, supr. de

34. MACER, lib. 2 Publicorum.

Imperatores Severus et Antoninus [Asclepiadi] ita rescripserunt: Tu, qui defensionem omisisti⁷¹ redimere sententiam maluisti, cum tibi crimen objiceretur, non immerito quingentos solidos inferre fisco jusus es: omnia enim ipsius causæ inquisitione, ipsi te huic pœnæ subdidisti: obtinendum est enim, ut hi, quibus negotia fiscalia moventur, ad defensiones causæ bona fide veniant: non adversarios, aut iudices redimere tentent.

35. POMONIUS, lib. 11 Epistolarum.

Apud Julianum scriptum est: Si privatus ad se pertinere hereditatem Lucii Titii dicat, altero eandem hereditatem fisco vindicante: queritur, utrum jus fisci ante excutiendum sit, et sustinenda actiones cæterorum, an nihilominus inhibenda petitiones creditorum singulorum, ne publica causæ præjudicetur? idque senatusconsultis expressum est.

36. PAPINIUS, lib. 3 Responsorum.

Prædiis a fisco distractis, præteritū temporis tributum eorumdem prædiorum [onus] emptorem spectare placuit⁷².

37. Idem, lib. 10 Responsorum.

Quod placuit, fisco non esse pœnam petendam, nisi⁷³ creditores suum recuperaverint: eo pertinet, ut privilegium in pœna contra creditores non exerceatur, non ut jus commune privatorum fisco amittat.

38. Idem, lib. 13 Responsorum.

Fiscus in questione falsi testamenti non obtinuit: priusquam autem ea questio decideretur, alio nuntiante bona postea vacare constitit; fructus post primam litem absumi non oportuisse postea: neque enim ad senatusconsulti beneficium scriptum heredem pertinere controversia mota. — § 1. Delatoris opera non esse functum respondi, qui fisci pecuniam, quam alius tenebat, ad sui temporis administrationem pertinere, quamvis probare non potuisset, contendit: quoniam propriam causam egerat.

39. Idem, lib. 16 Responsorum.

Bona fisco citra pœnam exilii perpetuam adjudicari sententia non oportet. — § 1. Eum qui periculum communis⁷⁴ condemnationis dividi postulavit, quod participes iudicati solvendo essent, revocatis alienationibus, quas fraudulenter fecerant, non videri causam pecuniæ fisco nuntiasse respondi.

40. PAULUS, lib. 21 Quæstionum.

Ita fidei heredis commisit: Rogo fundum Titio des, de quo te rogavi: si Titius capere non possit, non evitabit heres pœnam taciti fideicommissi: non enim est palam⁷⁵ relinquere, quod ex testamento scripi non potest, cum recitatum est: quemadmodum nec ille palam dat, qui ita scribit: Rogo vos heredes, in eo quod a vobis petii, fidem præstetis: imo in priore specie, majorem fraudem excogitasse videtur, qui non tantum legem circumvenire voluit, sed etiam interpretationem legis, quæ circa tacitum fideicommissum habetur: quamvis enim fundum nominaverit, non tamen cognosci potest, de quo sit rogatus heres: cum diversitas rerum obscurum faciat legatum. — § 1. Patronus si tacite in fidem suam recipiat, ut ex portione sua præstet, cessare fraudem dicitur: quia de suo largitur.

41. Idem, lib. 21 Responsorum.

Eum qui bona vacantia⁷⁶ a fisco comparavit, debere actionem, quæ contra defunctum competeat, excipere.

42. VALENS, lib. 5 Fideicommissorum.

Arianus Severus præfectus ærarii, cum ejus qui tacite rogatus fuerat non capit fideicommissum reddere, bona publicata erant: pronuntiavit nihilominus jus deferendi ex constitutione divi Trajani habere eum cui fideicommissum erat relictum. — § 1. Quia autem nonnulli ingrati adversus beneficium D. Trajani, post professionem quoque de tacito fideicommissio factam, cum possessoribus transigunt, atque tribus⁷⁷ edictis evocari non respondent: placuit senatui, tantum ab eo qui id fecisset exigi, quantum apud ærarium ex ea causa, quam detulerat, remanere oportet, si professionem suam impleverit, et si possessoris quoque fraus apud præfectum convicta fuisset, ab eo quoque, quod convictus inferre debuisset, exigi.

43. ULPIANUS, lib. 6 Fideicommissorum.

Imperator noster rescripsit, fiscum in rem habere actiones ex tacito fideicommissio.

prævaricat. — 68. L. 8, supr. de his, que ut indigni. — 69. L. 8, supr.: L. 46, § 2, infr. h. t. — 70. L. 36, supr. de religio. — 71. L. 4, L. 29, supr. h. t. — 72. Mutat. L. ult. C. de censib. — 73. L. 1, § 1, supr.: L. 48, in fin. infr. h. t. — 74. L. 44, infr. eod. — 75. L. 5, in pr. supr. eod.: L. 20, in pr. supr. de his, que ut indigni. — 76. L. 13, § 2, supr. de hered. petit. — 77. L. 15, § 2, supr. h. t.

44. PAULUS, lib. 1 Sententiarum.

Delator non est, qui⁷⁸ protegenda causæ suæ gratia aliquid ad fiscum nuntiat.

45. Idem, lib. 3 Sententiarum.

In fraudem fisci non solum per donationem, sed quocunque⁷⁹ modo res alienata revocantur: idemque⁸⁰ juris est, et si non queratur: æque enim in omnibus fraus punitur. — § 1. Bona eorum qui in custodia, vel in vinculis, vel compedibus⁸¹ decesserunt, heredibus eorum non auferuntur, sive testato, sive intestato decesserunt. — § 2. Ejus bona, qui sibi mortem conscivit, non ante ad fiscum coguntur, quam prius constituerit, cujus criminis gratia manus sibi intulerit. Ejus bona, qui sibi ob aliquo admissum flagitium mortem conscivit, et manus intulit, fisco vindicantur: quod si id tædio⁸² vitæ aut pudore æris alieni, vel valetudinis alicujus impatiencia admisit: non inquietantur, sed sua successione relinquuntur. — § 3. A debitore fisci in fraudem datas libertates retrahi placuit. Sane ipsum ita ab alio emere⁸³ mancipium, ut manumittat, non est prohibitum: ergo tunc et libertatem prestare possit. — § 4. Ex his bonis, quæ ad fiscum delata sunt, instrumenta⁸⁴ vel chirographa, acta etiam ad jus privatorum pertinentia restitui postulandis convenit.

§ 5. Neque instrumenta, neque acta a quoquam adversus fiscum edi oportet. — § 6. Ipse autem fisci actorum suorum exempla hac conditione edit, ut (ne) is qui describitur sit potestas adversus se, vel republicam his actis utatur: de quo cavere compellitur, ut si usus is contra interdictum fuerit causa cadat. — § 7. Quotiens apud fiscum agitur, actorum potestas postulanda est, ut merito is uti liceat, eaque manu commentariensis adnotanda sunt. Quod si ea aliter profertur: is qui ita protulerit, causa cadit. — § 8. Quotiens iterum apud fiscum eadem causa tractatur, priorum actorum, quorum usus non fuerat postulatus ex officio recitatio jure poscitur. — § 9. Qui pro alio a fisco conventus debitum exsolvit, non inique postulat persecutionem bonorum ejus pro quo solvit: in quo etiam adjuvari pro officio solet. — § 10. Fiscalibus debitoribus petentibus ad comparandam pecuniam dilationem negari non placuit: cujus rei æstimatio ita arbitrio iudicantis conceditur: ut in majoribus summis non plus, quam tres menses: in minoribus vero non plus, quam duo prorogentur, priorioris autem temporis spatium ab imperatore postulandum est. — § 11. Si principalis rei bona ad fiscum devoluta sint, fidejussores liberantur: nisi⁸⁵ forte minus idonei sint, et in reliquum non exsoluta quantitatis accesserint. — § 12. Si plus⁸⁶ servatum est ex bonis debitoris a fisco distractis, jure ac merito restitui postulatur. — § 13. Conductor ex fundo fiscali nihil transferre potest: nec cupressi materiam vendere, vel olive, non substitutis aliis, cæteraque arbores pomiferas credere: et facta ejus rei æstimatione, in quadruplum⁸⁷ convenitur. — § 14. Minoribus viginti quinque annis neque fundus, neque vectigalia locanda sunt: ne adversus⁸⁸ ea beneficio ætatis utantur.

46. HERMOGENIANUS, lib. 6 juris Epitomarum.

Aufertur ei quasi indigno successio, qui cum heres institutus esset ut⁸⁹ filius post mortem ejus qui pater dicebatur, suppositus declaratus est. — § 1. Qui aliquid sciens in fraudem fisci suscepit, non solum rem, in qua fraudis ministerium suscepit, sed alterum⁹⁰ tantum restituere cogitur. — § 2. Quod⁹¹ a præside, seu procuratore, vel quolibet alio in ea provincia, in qua administrat, licet per suppositam⁹² personam, comparatum est: infirmato contractu vindicatur, et æstimatio ejus fisco inferitur: nam et navem in eadem provincia, in qua quis administrat, ædificare⁹³ prohibetur. — § 3. Fiscus semper⁹⁴ habet jus pignoris. — § 4. Qui compensationem opponit fisco, intra duos menses debitum sibi docere debet. — § 5. Ut debitoribus fisci, quod fisco debet, compensetur⁹⁵, saepe constitutum est: excepta causa tributaria, et stipendorum, item pretio⁹⁶ rei a fisco emptæ, et quod ex causa annonaria debetur. — § 6. In reatu constitutus bona sua administrare potest: eique debitor recte bona fide solvit⁹⁷. — § 7. Actores⁹⁸, qui aliquod officium gerunt in bonis, quæ distrahant, procuratores vendundæ inconsultis principibus prohibentur: et si veniant, venditio nullas vires habebit. — § 8. Servus⁹⁹ Cæsaris, si jussu¹⁰⁰ procuratoris adit hereditatem, Cæsari volenti adquirit. — § 9. Si multi fisco fraudem fecerint, non ut in actione furti, singuli solidum, sed omnes¹ semel quadrupli pœnam pro virili portione debent: sane pro non idoneis, qui sunt idonei, conveniuntur.

78. L. 38, in fin. l. 39, in fin. supr. eod.: L. 5, C. de delatorib. — 79. L. 11, supr. qui et a quib. manumittat. — 80. Immo vide L. 21, supr. h. t. — 81. L. pen. C. eod.: L. 2, supr. de bon. damnat.: L. 27, § 2, supr.: L. ult. C. de bon. eorum, qui — 82. L. 3, § 2, supr. d. l. de bon. eor. qui ante sentent. — 83. L. 5, C. qui manumittent. — 84. L. 15, § 2, supr. h. t. — 85. L. 68, § 1, in fin. supr. de fidejuss. — 86. L. 6, in pr. supr. de bon. auctore. judic. — 87. L. 8, C. h. t.: L. 1, C. de his, qui ex publ. ration. l. un. C. pen. fiscalib. creditorum præferri. Immo vide L. 46, § 2, infr. h. t. — 88. L. 1, C. si advers. fisco. — 89. L. 5, C. de testam.: L. 4, C. de hered. instit. — 90. § ult. infr. h. t. l. 7, C. h. t. Immo vide L. 45, § 13, in fin. supr. eod. — 91. Adde L. 3, infr. de vacat. muner. — 92. L. 8, § 1, supr. ad leg. Jul. repetund. — 93. L. un. § 2, C.

47. PAULUS, lib. 1 Decretorum.

Moschis quædam fisci debitorum ex conductione vectigalis, heredes habuerat: a quibus post aditam hereditatem Faria Senilla, et alii prædia emerant: cum convenirent propter Moschidis reliqua, et dicebant heredes Moschidis idoneos esse, et multos alios ex hisdem bonis emisse: æquum putavit imperator, prius² heredes conveniri debere: in reliquum, possessorem omnem: et ita pronuntiavit. — § 1. Emilius Ptolemæus conduxerat a fisco possessionem, eamque paulatim pluribus locaverat majore quantitate, quam ipse susceperat: conveniebatur a procuratoribus Cæsaris in eam quantitatem, quam ipse perceperit: hoc iniquum, et inutile fisco videbatur, ut tamen suo periculo, ipse eos, quibus locaverat, conveniret: ideoque pronuntiavit, in eam³ solam quantitatem eum conveniri debere, qua ipse conductor exiterat.

48. Idem, lib. 2 Decretorum.

Stadius Florus testamento scripto heredis sui Pompeii tacite fidei commiserat, ut non capienti fundum et certam pecuniæ quantitatem daret: et eo nomine cautionem a Pompeio exigi curaverat, se restitutum esse: quæ ei per præceptionem dederat: postea idem Florus factio secundo testamento, et eodem Pompeio et Faustino heredibus institutis, nullas præceptiones Pompeio dederat: hæc persona, quæ capere non poterat, se detulerat, consulti imperatores a procuratoribus rescripserunt, si non probaretur⁴ mutatam voluntatem esse, præstandum fideicommissum: atque ita Pompeius condemnatus desiderabat, onus esse id hereditatis optere: quia præceptiones non acceptat, nec posse videri pro parte in prima voluntate testatorem perseverasse: sed in universo pronuntiavit, nec testamentum prius exstare, nec si dedisset in primo testamento, ex posteriore peti potuisse, nisi petitus esset: placuit, quia non probabat sibi datas præceptiones, ex sola sua cautione solum fideicommissum præstare debere. — § 1. Cornelio Felici mater scripta heres rogata erat restituere hereditatem post mortem suam: cum heres scripta condemnata esset a fisco, et omnia bona mulieris occuparentur: dicebat Felix, se ante⁵ pœnam esse: hoc enim constitutum est: sed si nondum dies fideicommissi venisset, quia posset prius ipse mori, vel etiam mater alias res acquirere: repulsus⁶ est interim a petitione.

49. Idem, lib. singul. de tacitis Fideicommissis.

Cum tacitum fideicommissum is, cui datum erat, capere se nihil posse detulisset, in quæstionem venit, doctantis, an totius artis partem dimidiam ex beneficio D. Trajani recipere debeat? de qua re extat rescriptum imperatoris Antonini in hæc verba: Imperator Antoninus Julio Rufo, Qui tacitam fidem accommodavit, ut non capienti restitueret hereditatem: si deducta parte quarta restituit, nihil retinere debet: quadrans autem, qui heredi imponitur ipsius, eripatur, et ad fiscum transferatur: unde doctantis semissem solum caput, qui se detulit.

50. Idem, lib. 3 Decretorum.

Valerius Patronius procurator imperatoris Flavio Stalticio prædia certo pretio addixerat: deinde facta licitatione⁷ idem Stalticius recepta ea licitatione obtinuerat, et in vacuum possessionem inductus erat: de fructibus medio tempore perceptis quærebatur? Patronius fisci esse volebat: plane si medio tempore inter primam licitationem, et sequentem adjectionem percepti fuissent, ad venditorem pertinere: sicut solet dici, cum in diem addictio facta est, deinde melior conditio allata est: nec moveri deberemus, quod idem fuisset, cui et primo addicta fuerant prædia. Sed cum utraque addictio intra tempus vindemiarum facta fuisset, recessum est ab hoc tractatu: itaque placebat fructus emptoris esse. Papinianus et Messius novam sententiam induxerunt, quia sub colono erant prædia, iniquum esse fructus ei auferri universos: sed colonum quidem percipere eos debere: emptorem vero pensionem⁸ ejus anni accepturum, ne fisco colono teneretur, quod ei frui non licuisset, atque si hoc ipsum in emendo convenisset: pronuntiavit tamen secundum illorum opinionem, quod quidem domino colerentur, universos fructus habere: si vero sub colono, pensionem accipere, Tryphonino suggerente, quid putaret de aridis fructibus, qui ante percepti in prædiis fuissent: respondit, si nondum dies pensionis venisset, cum addicta sunt: eos quoque emptorem accepturum.

de contract. judic. — 94. L. 3, C. de privileg. fisci: L. 1, l. 2, C. in quib. caus. pign. immo vide L. 6, supr. h. t.: L. 10, in pr. supr. de pact. — 95. L. 3, C. de compensat. — 96. L. 7, C. d. t. — 97. L. 41, supr. de solutionibus. — 98. L. 30, supr. h. t. — 99. L. 25, § 2, supr. de adquirend. vel omittend. hered. — 100. L. 1, § ult. supr. de offic. procurat. Cæsar.: d. L. 25, § 2. — 1. § 2, supr. hic: L. 8, C. h. t. — 2. L. 1, C. de conven. fisci debitorib. — 3. L. 3, C. de fundis rei privatus: lib. 11, tit. 65. — 4. L. 5, supr. de probat. — 5. L. 37, supr. h. t.: L. un. C. penus fiscalib. — 6. L. 121, § 2, supr. de verbis oblig. — 7. Adde L. 6, supr. de in diem addict. — 8. Obst. L. 15, § 11: L. 53, in pr. supr. de act. empti.